# DE CONTAGIORUM ACTIONE SPECIFICA PATHOLOGIAE...

Antonio Ghirardi

Digitized by Google

# DE CONTAGIORUM

ACTIONE SPECIFICA

PATHOLOGIAE ET CLINICES SUBSIDIIS COMPROBATA

*DISCEPTATIUNCULA*

QUAM AD MEDICINAE LAUREAM

IN CAES. R. PATAVINO ARCHIGYMNASIO

RITE CONSEQUENDAM

PUBLICI JURIS FECIT

ANTONIUS GHIRARDI

MANTUANUS

CHIRURGIAE DOCTOR

ET IN ARTE OBSTETRICIA MAGISTER

PATAVII

EX OFFICINA VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXVIII

PIA ... MED.CHIR.FARMAC. IN VENEZIA

Digitized by Google

Digitized by Google

Argumentum grave, Professores sapientissimi, a summis in arte medica viris excultum, ideoque viribus meis minime aequum pertractandum mihi, ut legibus Academicis obediar, proposui; idque perlibenter fateor, atque confirmo. Ast verum ut aliquo modo pateat, me clinicis disciplinis prae aliis dicatum fuisse, sicuti praxim medicam excolere potiusquam alias theoreticas disciplinas in posterum mihi suasus sim; ita meorum laborum veluti initium hoc esse duxi, et benevolentiae Vestrae illud ex animo committo. Vos, Viri doctissimi, qui amore atque patientia summa ingenii mei parvitatem quotannis sustinuistis, vos precor, atque obtestor discipuli gratissimi animi oblationem excipite.

Plurimas et eo semper varias de contagiorum natura ideas tot temporibus praegressis protulerunt medici, hancque ob causam de eorum actione doctrina varia jugiter processit, ut in Classicorum artis nostrae scriptis quilibet videre atque sibi confirmare potest. Qui principii aeriformis notas in conta-

Digitized by Google

giis distinguere credidit, aeris mechanicas qualitates iisdem tribuit et chemicas etiam juxta eorum propria elementa. Qui materiam quamdam animalem aut vegeto-animalem inspexit, putredinis cujusdam principium vidit; hincque actionem humores corrumpendi contagiis libenter concessit. Qui contagia veluti insectorum aut vermium ingentem numerum esse declaravit, in horum animantium morsu contagiorum actionem collocavit, effectusque plane phlogisticos praevidit. Alii alia dixerunt. Hoc itaque pacto nil mirandum, si tanta caligine contagiorum doctrina in dies magis magisque obruitur, cum nemo sit qui de hoc argumento nonnisi hypotheses pronuntiasset. Carent medici fortioribus argumentis, quibus contagiorum vim statui possit; etenim *a priori* nemo usque adhuc illorum naturam detexit; et maximo praxis medicae discrimine, empyrica ratione cogimur *a posteriori* illam enarrare, scilicet diligentia summa effectus in corpore animali productos colligere, ut ex observationum congerie aliqua therapiae fundamenta instituere possimus. Hoc est praecipue quod demonstrandum mihi proposui; idest clinicas observationes producere, quibus contagiorum actio probetur, et rationalis cura morborum a contagio originem habentium instituatur.

In praesentiarum derelinquenda est illa quaestio, an contagia revera existant, scilicet sint humores ipsi animales ad peculiarem morbosam compositionem evecti, et morbi qui sub contagionum nomine accipiuntur, ab illis fomitem repetant; vel potius contagiones omnes a natura homini externa initium du-

Digitized by Google

cant, et *caeteris paribus* sporadice vel epidemice grassentur juxta constitutiones, temperamenta aliaque hujusmodi, absque materiali principio peculiari, quod ansam morbo eidem praebeat eodem tempore in diversis individuis. Nobis potius admittenda sunt contagia, ut cum pluribus scriptoribus et summis Clinicis recte sentiamus, quam novam theoriam hypothesibus plenam statuere contra omnium auctorum sententiam, quae uti lex nobis servanda est. Est ergo contagium "*materies quaedam aegro in cor-*
,, *pore enata et ab eodem egressa, inque sanum in-*
,, *gressa corpus, ibidem morbum gignere potest ab*
,, *eo non absimilem qui eamdem materiam protulit* ,,.

Si tot tantique celeberrimi viri contagium *per contactum a* contagio *ad distans* in eorum scriptis distinxerunt, certe materiam quamdam ex aegro corpore manantem admiserunt in aliquo suspensa vehiculo, quo morbus ipse ad sanum animal propagari possit. Et revera tum a faecum et urinae, tum a perspirationis exhalatione quoddam mephiticum hauritur sane noxium causaque directa occasionalis morbi futuri. Febres sic dictae nosocomiales, navales, carcerales, castrenses hoc eminenter probant, etenim multorum hominum aegrorum collectio excretionum ope aerem corrumpere potest praesertim si plagarum pravae indolis superficies ( ut in aulis Nosocomiorum Chirurgicis contingit ) et lentineorum spurcities aeri ambienti exponantur. Ita contagium nosocomialium febrium oriri non sine fundamento auctores celeberrimi putant; quodque morbi inde enati plane confirmant. Quae de hisce contagionibus as-

Digitized by Google

seruimus, variolis, morbillis, scarlatinae, rubeolae, ipsique hydrophobiae et pesti orientali, applicentur.

Hisce igitur admissis elaboratio quaedam peculiaris humorum animalium sane requiritur, ut materies contagiosa enascatur, vel, ut clarius intelligatur, principia animalia jam elaborata requiruntur, ut quodam ignoto chemico-animali processu in congressum veniant, et contagii formationi ansam praebeant, immo etiam contagium constituant. Haec igitur materies jam formata nemo inficias ire poterit animali organismo noxiam esse, siquidem morbum parit : et hac ratione leges organicas invertere posse, unde febris, secretionum, et excretionum alienatio, aliaque graviora symptomata nimis frequenter lethalia.

Videamus nunc quae actio, quaeque signa illam manifestare queant. Vis vitae animalis quae variis nominibus a diversis auctoribus distinguitur quaeque melius nunc vitalitas nuncupatur, triplici modo turbari potest juxta industrioris pathologiae principia, scilicet augeri, deprimi et irritari potest. Augetur ob stimuli actionem, et hyperstheniam constituit: deprimitur ob stimuli deficientiam atque decrementum, et hypostheniam ducit : irritatur denique per stimulos inaffines, et irritationem parit , unde actiones diathesicae et diatheses constitutae fuere hypersthenicae, hyposthenicae, ac irritativae. Stimulorum affinium augmentum aut decrementum vim vitae elatiorem aut depressam debilitatam reddit; inaffinium vero stimulorum vitalitati applicatio ipsius reactionem abnormem jugiter promovet et vitalitati impotentia inest se se ad hyperstheniam vel ad hypostheniam, absque sti-

Digitized by Google

muli inaffinis absoluta subtractione, reducendi. Hanc clinicam veritatem confirmat regulare curriculum morborum hypersthenicorum atque hyposthenicorum generatim loquendo, et e contra irregulare illorum qui irritationem quamdam veluti matrem agnoscunt. Addi etiam potest, quod perturbationes criticae in febribus irritativis si bonae criseos ope materiam irritativam e corpore eliminare queant, sanitas utique aegro restituitur, sed non sine longae convalescentiae eoque molestiae discrimine. Quisquis jam videt, nos actionem irritativam potiusquam aliam contagionibus concedere, ad quod nunc probandum clinicis observationibus accedemus.

In istitutionibus pathologicis cl. Prof. Fanzago Vol. I. Cap. 12. § 425. ubi irritatio a stimulo secernitur, legitur: " *irritatio est conatus quidam* „ *in id proxime conspirans, ut naturalem fibrae* „ *vel viventium textuum integritatem serius ocius* „ *dissolvat; ejusque characteres ab organicis mo-* „ *tibus eodem conatu urgente excitatis suppedi-* „ *tari* „ : et subsequenti § 426. adjungitur alius irritationis character, scilicet " *potentias irritantes* „ *in loco agere unde etiam localis affectio proxime* „ *oritur, dum potentiae vitale incitamentum augen-* „ *tes vel minuentes universum potius organicum* „ *systema aggrediuntur* „.

Hac ratione stimulo ab irritatione diviso facile ab effectubus contagiorum actio potest demonstrari. Habemus pro exemplo contagiones febriles, ut eo melius argumentatio innotescat; posteaque vero afebriles considerabimus, et corollaria inde hauriemus.

Digitized by Google

Juxta omnium temporum observata statuere possumus, contagia omnia actionem electivam supra aliquod organon, vel systema manifestare, quo charactere primitus aliisque adjuvantibus unum ab alio distinguimus. Contagium typhicum systema encephalonervosum primo intuitu afficit, hinc delirium, comata, typhomania etc. quae symptomata pathognomonica considerantur. Contagium peticulare viscera thoracis, et imi ventris afficit, unde symptomata catarrhalia, peripneumonia spuria, gastritis, enteritis, dysenteria, diarrhoea, inter eminentiora febris peticularis recensentur. Pestis orientalis systema lymphatico-glandulare possidet, et bubones axillares atque inguinales edit. Eadem ac illa pestis affectio habetur in syphilide confirmata, quo in casu praeter bubones, glandulae omnes lymphaticae tumorem edunt. Contagium scarlatinum et cutim et fauces tracheamque aggreditur, qua ratione angina fere semper comitatur. Morbilli in pectore observantur praecipue; aliaque contagia locali affectione jugiter pronuntiantur.

Hisce characteribus observatione assidua atque incorrupta experientia detectis, ecquis non videt contagia omnia localem affectionem proxime efficere, qua inde per consensus, sympathiae et antagonismi leges morbum universalem ex locali constituunt, quaque etiam nota irritationem absolutam manifestant? Neque certe sufficit nos hoc probasse, et objectiones validissimas confutare quibus aliquis universalem morbum esse, minime vero localem declarare possit: quinimo alios irritationis manifestae characteres haurire possumus ex phaenomenorum serie quae contagio-

Digitized by Google

nes ab aliis morbis distinguit. Alius enim irritationis character probatur, nam irritatio a stimulis inaffinibus originem ducens conatum quemdam producit, a quo naturalis fibrae vel viventium textuum integritas serius ocius dissolvitur. Integritatem dissolvit: Et hoc in contagionibus, quarum curriculum maxime irregulare fit, et mali ominis exitum praenuntiant, facillime observatur; nempe irritatione summa diutius protracta solida paullatim diminuuntur, marasmus incedit, vel gangraenosus processus interanea aut externa possidet, indeque sphacelo universali praeeunte, mors dira finem atroci morbo imponit.

Sed ut melius contagii actionem irritativam comprehendamus, necesse est analysim quamdam instituere juxta irritationis proprie dictae notas atque effectus. Irritatio minime propagari potest in organa affectioni proximiora nisi irradiationis ope, et ad remotiora sympathiae tantum legibus pervenire potest quin materia per se irritans ad eadem transeat. Hoc in contagionibus sane compertum fuit, nam contagium ipsum juxta actionem electivam in aliquod organon degens illic manet per totum morbi curriculum usque ad criseos salutaris finem, et tamen morbosa phaenomena jugiter irritativa, consensus ope aliis in organis observantur. Ita delirium in febre peticulari, angina in scarlatina, aliaque in reliquis.

Duae a se invicem irritationes diversae in duabus diversis organismi partibus agentes eodem temporis momento nunquam deprehenduntur, quin una ex alterius vigore increscat: et hoc certe, si sermo de contagionibus habeatur, revera accidit, nam duo conta-

Digitized by Google

gia eodem tempore in animali organismo existere nequeunt; quod si existant, alter alterius vires subtrahit vel auget. Irritantes potentiae fibrae incitamentum aliquando perturbant et dynamismi influxum supra facultates mechanicas atque chemicas humorum eadem ratione tollunt, vel pervertunt: quam propositionem sat confirmatam habemus ex pravae indolis assimilatione, quae irritatione perdurante in systemate gastro-enterico producitur. Hoc certe in contagionibus plane clareque elucet, cum facile lassitudines spontaneae, hebetudo, digestionis languor, motus impotentia in longa morborum a contagiis productorum convalescentia veluti praecipua signa observanda veniunt. Addere licet, quod irritationis cujuscumque effectus destrui nequeunt quominus potentiae irritantes tollantur excretionum ope; id quod praesertim in contagionibus accidit, in quibus ante criticas perturbationes omne remedium frustra adhibetur, neque morbi curriculum imminuitur.

Propagatio ipsius contagii vel diffusio atque multiplicatio prolatum a nobis argumentum validissime sustinent; et hoc modo varias de contagiorum propagatione sententias hypothesibus innixas rejicimus. Diximus contagia, non universam compagem sed partem tantummodo primitus afficere, textuum mixtionem organicam confundere, usquedum hujus elementorum conditionem perturbent, motusque organicos ab irritatione pendentes irritandi contagiorum modo respondere. Nonnisi hac agendi ratione hisque motibus morbosis in textubus vita praeditis contagiorum materia produci potest illi contagio similis quod irri-

Digitized by Google

tationem primariam peperit. Contagii ipsius propagatio morbo ipso perdurante continuat; et sic ex irritativa aegritudine istius irritans materia mater sustinetur atque ulterius diffunditur. Syphilis, et variolae inter omnia contagia exemplum hujus propagationis irritativae mirabile praebent.

Si quae inflammationis processus phaenomena contagione prodeunte explicentur, haec certe non negamus ab organi cujusdam, vel systematis inflammatione vera prodire, uti ex. gr. variolarum pustulae in systemate cutaneo, symptomata catarrhalia in febre peticulari obvia, encephalitis in febre typhica, angina in scarlatina, lymphangioitis in syphilide, aliaque hujusmodi. Sed ab irritatione primitiva hasce inflammationes derivare posse affirmamus; nam irritativo motu in fibris textuum prodeunte *diathesis stimuli*, ut vocant, generatur, etiamsi stimuli hujusmodi textubus ipsis haud affines sint considerandi. Hujusmodi vero inflammatio ab irritatione vehementi jugiter repetenda est, et in variolis confluentibus praesertim exemplum habemus, in quibus vehemens cutis ex irritatione inflammatio, febris quam vocant *synocham*, summo aegrotantis discrimine excitatur. Verum, generatim loquendo, inflammatio ab irritatione contagiosa producta fere numquam vehemens observatur, sed potius lentum curriculum edit, cujus causa in organismi laesione irritativa quaerenda videtur. Quapropter non raro observamus, morbos ex contagio originem ducentes incitantia etsi leviora, ad vitale incitamentum jam depressum sustinendum ex-

Digitized by Google

poscere, quamvis inflammationis aliqua signa manifesta sint in primis curriculi diebus.

Hisce argumentis summa qua potui diligentia expositis, oratiunculam hanc composui, qua mihi jam suasus sum probavisse, quae sit contagiorum indoles et actio supra organismi animalis vires; quaeque inde corollaria ad methodum therapeuticam idoneam quocumque in casu instituendam, erui possint.

Digitized by Google

# *THESES DEFENDENDAE*

## *I.*

Vapor aquosus *qui in expiratione habetur, non ex chemica oxygenii aeris cum sanguinis hydrogenio unione redundat, sed est simplex bronchiorum serosa exhalatio.*

## *II.*

*Frequentia et irritatio pulsuum non semper, ut vulgo creditur,* febrem *constituunt.*

## *III.*

*Opii facultas sedativa a principio suo* morphinae *nomine cognito pendet.*

## *IV.*

Chininae *et* cinchoninae *vis medicatrix accessifuga semper, minime vero febrifuga considerari debet.*

99 938956

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google